





~~AM. 13.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
VI-51. ———  
SIGNAT. MDLCCCXIII.





7.  
6

Τῆ Θεῶ συνεργῆσαι!

DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
JUSTIFICATIONE,

Quam

In florentissima *WITTEBERGENSIS* Academia

Auditorio Majori,

καὶ ὁ κύριος θελήσει

SUB PRÆSIDIO

h. III. 2538

VIRI

SUMME REVERENDI, MAGNIFICI atq;  
EXCELLENTISSIMI,

DN. JOHANNIS *Deutschmann*/

S. S. Th. Doct. & Profess. Publ. longè celeberrimi, ejus-  
demq; Facultatis p. t. DECANISpectatissimi, ac Electoralium  
Alumnorum EPHORI gravissimi,

DN. Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui  
et atq; colendi,

Placidæ θεολογῶντων συζητήσεαι  
publicè sistit

MICHAEL PAWLOWITZ, Turocenô-

Lesnenensis Hungarus S. S. Theol. & Phil. Studiosus,

die 29. Aprilis

Anno χριστογονίας M. DC. LXX.

typis MICHAELIS METERI.





GENEROSO NOBILISSIMO QVE  
VIRO

DN. GEORGIO RADWANSKI, Bonorum Radvvanensium, Skubinen, &c. hæreditario Domino, Incluctiq; Comitatus Zolienfis Judici primario. Dno. ac Fautori fuo Academico.

Item

VIRIS

*Plurimum Reverendis, Amplifsimis, Doctifsimisq;*

DN. SAMUELI CZERNAK, Pastori, Regiæ Liberaq; Civitatis Montano-Novifolien. Ecclefia Schlavica primario, Gymnafii ibidem Infpectori graviflimo, Filiali obfervantia ætatem devenerando.

DN. JOHANNI SEXTIO, Libera Regiæq; Civitatis Carponenfis, Ecclefia Schlavica, Myftæ fideliflimo.

DN. PETRO SEXTIO, Civitatis Novifolienfis Symmyftæ meritiflimo.

DN. JOHANNI MILOCHOWSKI, Antiftiti Libera ac Regiæ Civitatis Brifnobanen. vigilantiflimo.

DN. JOHANNI BURIO, Civitatis Carponen. Ecclefia Germanica Pastori graviflimo.

DN. DANIELI SINAPIO, Ecclefia Radvvanenf. Antiftiti summè obfervando.

DN. ZACHARIÆ HAGARA, Oppidi Möfsvienfis Myftæ, Ven. Contub. Turocenfis Vice-Notario atqve Affeffori, honorando.

DN. ANDREÆ BOBOCZKI, Ecclefia ad Sanctum Andraani Pastori digniflimo: Patri obfervando.

*Omnibus in univerfum*

*Evergetis, Patribus ac Promotoribus fuis summis,  
Difertationem hanc fubjectiffimè humilimèq;  
offert & confecrat*

MICHAEL PAVVLOVVITZ,





QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ

EX ARTICULO IV.

AUGUSTANÆ CONFSSIONIS.

DE

JUSTIFICATIONE.

QVÆSTIO.

*Num justitia divina λύτρωσιν satisfactionis requisiverit  
pro totius humani generis peccatis?*

1.

Circa quæstionem ipsam primum omnium certas quasdam Hypotheses præmittimus (1) quod primi homines revera peccaverint, & legem divinam, sub mortis comminatione propositam, transgressi sint, id quod ipse lapsus protoplastorum abunde satis attestatur, præter alia, quæ sæpius in sacris literis inculcantur fundamenta.

2. (2) Quod lapsus protoplastorum non tantum personale peccatum fuerit, & primos tantum parentes, instar vitii moralis, extrinsecus affecerit, sed quod potius totam protoplastorum naturam corruperit, & à parentibus primis in posteros, mediante corrupta natura, transferit, secus atq; docent de utroq; Sociniani: nam quoad prius in Catech. Racov. c. 10. p. 250. scribunt: Lapsus Adæ cum unus actus fuerit, vim eam, quæ depravare ipsam naturam Adami posset, habere non potuit: quoad posterius Socin. in lib. svasor. cap. 5. p. 57. inquit Pro-nitas ad peccandum, quæ in homine conspicitur, sicut ab ipsa prima creatione ortum non habet (nam ut dictum est, Salomone teste, DEUS fecit hominem rectum) sic neq; à primo illo peccato, sive ab uno illo primi hominis peccandi actu statim exorta est, sed, continuatis post peccatum illud aliis peccandi actibus, peccandi habitum paulatim homines contraxerunt, seq; ipsi corruperunt, & sic corruptionis istius semina per propagationem ad posteros transmiserunt.

3. (3) Quod ex hoc lapsu protoplastorum omnes homines facti sint natura filii iræ Eph. II. 3. ubi notandum, quod homines non active, sed passive, dicantur Filii iræ, non quod ipsi DEO irascantur,

A

sed



## DE JUSTIFICATIONE.

sed quod potius *DEUS* ipsis, ut peccatoribus irascatur. Glossam equevidem hanc affert *Socinus*, nos perhiberi *Filios iræ*, non quod *DEUS* nobis iratus sit, sed quod nos irascamur *DEO*: sed respectu nostri verè valet illud vulgatum: *vana est sine viribus ira*: & hæc glossa nec textui, nec fidei dicitur analoga, multisq; pariter *absurdis* obvia, quæ nunc adducere non placet: hoc saltem urgemus ex *scripturæ phraseologia*: sicut *Filius mortis*, aut *vir mortis* dicitur, non qui alteri cum morti adjudicat, sed qui supplicio mortis adjudicatur, prout inquit *Nathan Davidi II. Sam. XII. 5. Vivit Dominus, quoniam Filius mortis est vir, qui fecit hoc*: sic etiam *Filius iræ* dicitur non, qui alteri irascitur, sed qui dignum alterius ira se præstat: qua ratione filii iræ dicuntur, quibus *DEUS* graviter ab peccatum irascitur.

4. (4) Quod homines in peccato propter iram *DEI* morti fuerint obnoxii, & perire necessum habuerint, idq; propter lapsum protoplastorum, & quia de peccato per corruptam generationem participarunt, secus atq; statuunt *Sociniani*. Nam *Socin.* de servat. *Christ. l. 3. c. 8. p. 40.* scribit: *Tametsi omnes ab Adamo prognati, morti perpetuæ sunt obnoxii, id non ideò fit, quod ipsis Adami delictum imputetur; sed quia ab eo progeniti sunt, qui morti perpetuæ divino decreto fuit addictus, & ita non propter peccati imputationem, sed propter generis propagationem, id illis contigit*: hanc tamen propagationem minime corruptam, & peccato commaculatam, fingunt, sicut scribit *Smalz. contr. Franz. p. 45.* *Non negamus, propter ipsam propagationem, quam omnes habent ex Adamo, eos etiam morti æternæ obnoxios, etiamsi non peccarint*: quod directe verbis *Apostoli* contrariatur *Rom. V. 12.* *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & sic mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* De posteriori *Socinus* inquit de stat. prim. hom. contr. *Pucc. p. 287.* *Quomodo sine propria culpa perire potuit humanum genus, quod ne perire quidem potuit, cum adhuc non esset. Et paulò post: Fateor, posse quodammodo dici, periisse universum humanum genus, cum Adamus propter peccatum periit. Sed certè tamen non periit, cum verè nondum esset, quare nec ulla injuria ei fieri potuit.*

5. (5) Quod *justitiæ divinæ* peccatum maximè sit contrarium: nam quod *justum* est, illud *ἀνομιον*, & legi *divinæ* consenta-

ta-



## DE JUSTIFICATIONE.

raneum, sed quod *iniustum*, illud *ἀνομιον*, & legi divinæ contra-  
 rium, cum lex divinæ justitiæ regulæ regula sit: jam autem *ἡ*  
*ἀμαρτία ἢ ἀνομία*, peccatum est, quod legi divinæ, vel justitiæ  
 contrarium est: adeoq; DEUS justus, ut juste peccatis irascitur, sic  
 etiam justè peccata punire dicitur, nec potest impunita peccata  
 dimittere: notamus igitur iterum *Socinianorum* errorem apud  
*Socin.* de servat. Christ. part. 3. c. 1. p. 227. *Falsum est, necesse esse, si*  
*DEUS justus futurus sit, ut delinquentium peccata exacte puniat: quia sci-*  
*licet justitia omnino requirat, ut suam cuiq; tribuatur, delinquentibus au-*  
*tem punitio debeat.* It. p. 224. *Nulla in DEO est justitia, quæ omnino*  
*peccatum punire debere dicitur.*

6. (6) Hinc deniq; sequitur, quod omnino satisfactio pro  
 totius humani generis peccatis necessaria fuerit ob infinitam DEI  
 justitiam, & quod hæc justitia *ἀπορίας* satisfactionis jure requisi-  
 verit, nec salva justitia jure suo renunciare potuerit, quod univer-  
 sa testatur scriptura, fidei Christi analogia, & communis Eccle-  
 siæ, vel orthodoxorum Doctorum, harmonia, secus atq; docent  
*Sociniani.* Nihil est, inquit *Socin.* p. 3. de servat. Christ. c. 1. p. 224.  
 propter quod DEUS libere, cui velit, nulla satisfactione accepta, peccata ju-  
 re condonare non possit. Et iterum l. d. *Nulla in DEO est justitia, quæ*  
*omnino peccatum punire debere dicitur, & cui ipse renunciare non possit.*

7. Ut autem eo propius ad præsentem causam accedam, circa  
 controversiæ statum quædam observamus (1) Quod hic non quæra-  
 tur, An DEUS aliter, quam citra satisfactionem, vel etiam citra Christi  
 satisfactionem, homines peccatores liberare, vel dimittere potuerit? De  
 hoc respondet *August.* lib. de Agon. Christi c. II. *Stulti sunt, qui di-*  
*cunt, non poterat aliter sapientia DEI homines liberare, nisi susciperet ho-*  
*minem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur?*  
*Quibus dicimus, poterat omnino, sed si aliter fieret, similiter vestræ stulti-*  
*tia displiceret.* Et iterum l. 13. de Trinit. c. 10. *Eos, qui dicunt, itane*  
*defuit modus alius, quo liberaret homines à miseria mortalitatis hujus; ut*  
*unigenitum Filium DEI, sibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo hu-*  
*manam animam, & carnem, mortalemq; factum mortem perpeti, pa-*  
*rum est, sic refellere, ut istum modum, quo mox per Mediatorem DEI &*  
*Dominum Iesum Christum DEUS liberare dignatus, asseramus bonum, &*



## DE JUSTIFICATIONE.

*divinae congruum dignitati: verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem DEO defuisse, cujus potestati cuncta aequaliter subjacent, sed nostrae miseriae sanandae convenientiorem alium non fuisse, nec esse oportuisse? Non hic de potentia, sed de justitia DEI solliciti sumus; & monendum hic esse ducimus, quod potentia DEI non absolute, vel ratione juris absoluti, vel ratione facti absoluti, sit consideranda, sed potius, qualis illa sit, ad reliqua DEI attributa relata, cum certum sit, DEUM non tantum esse infinite potentem, sed pariter infinite justum esse dicendum. Jam posse non justum, non est potentiae, sed impotentiae dicitur. Unde minime probare possumus Fausti Socini sententiam l. 3. de Serv. Christi, p. 1. c. 1. p. II. POTUISSET DEUS, & quidem IURE homines, licet PECCANTES, morti aeternae non mancipare: postquam autem eos morti mancipavit, ex illius imperio eximere, & quidem IURE, sua SOLA VOLUNTATE potest.*

8. (2) Non etiam quaeritur, an DEUS ex infinita misericordia peccatoribus absolute tum culpam, tum poenam remittere voluerit? Haec equidem Socinianorum itidem est sententia, sed hoc loco formaliter illam non attendimus, quam tamen materialiter non excludimus. Sic enim Socin. d. l. p. 3. c. 2. p. 236. *Si modo poenitentia adsit, DEUM pro ingenti bonitate sua nulla vera satisfactione accepta, nobis peccata remittere VOLUISSE in novo foedere, quod nobiscum per Christum percutere dignatus est, constanter affirmo, & nunc potissimum contendo. Quomodo enim propitius fuisset DEUS iniquitatibus nostris, si cum eas nobis, nulla satisfactione interveniente, remittere posset, pro ipsis sibi plenissime satisfieri curasset? aut quomodo peccatorum nostrorum non recordatus fuisset, si ab humana natura in Christo, ipsorum omnium tam rigide & exacte poenas repetisset? Vel potius, quid mirum est, eum iniquitates nostras nobis imputare, & peccatorum nostrorum non amplius recordari, si jam ei uberrime satisfactum pro sceleribus nostris fuit, & jam eorum ita recordatus est, ut ne minimum quidem impunitum reliquerit? Quanam haec est ipsius, quam tantopere praedicat, munificentia ac liberalitas, si de jure suo ne tantillum quidem remittere voluit? Verum absolutam ejusmodi misericordiam in salutis nostrae negotio prorsus ignorat scriptura, quia sic dilexit DEUS mundum, ut filium suum unigenitum daret Joh. III. 16. & dilecti sumus non nisi in dilecto Eph. 1. 6. DEUS ut infinite misericors est, sic etiam*

*infi-*



## DE JUSTIFICATIONE.

*infinite justus*, nec quicquam misericordiae DEI tribuendum, quod infinitam ejus justitiam vel invertere, vel prorsus evertere possit.

9. (3) Nec quaeritur de *justitia dispensatrice*, Num DEUS in certis quibusdam casibus specialibus nonnunquam vel ex misericordiae affectu, vel ex aequitatis studio dispensaverit, & à peccatoribus non adeò scrupulose vel rigorosè singula requisiverit? Hoc enim suo modo non inficiamur, cum talia dispensationum exempla non raro sacris in literis inveniantur, quemadmodum dispensavit in *polygamia veterum*, circa primam conjugii legem, in lege *circumcisionis*, quamdiu fuerunt *Israelitae* in deserto &c: Nam hæ leges speciales fuerunt, adeoq; specialem dispensationem admittere potuerunt: & hic, quando DEUM non ut *benevolum Patrem*, sed ut *iratum judicem* consideramus, nihil dispensationis ab eodem expectare possumus. Lapsus enim protoplastorum non adeò leve peccatillum est, ut facilem admittat *dispensationem*, nec in *legem* aliquam *humanam*, sed *divinam*, non *partialem*, sed *totalem*, non *specialem*, sed *generalem*, non aliquo modo, sed omni modo deliquit, dum *apostasia* turpissima peccator à DEO defecit, totamq; naturam suam corrupit, imaginem DEI pulcherrimam amisit, & abominabilem Diaboli larvam admisit, & ipsam DEitatem rapere constituit, adeoq; propter horrendam & detestabilem sui conditionem & abominationem, nullius dispensationis immediatæ capax esse potuit; cum ea dispensatio sit prorsus admirabilis, & nunquam digne satis vel aestimari, vel prædicari possit, quod DEUS nobis miseris peccatoribus alium, nim. Filium suum unigenitum surrogaverit, quam *surrogationem* ipse *Crellius* de satisfact. resp. ad c. 9. part. 1. p. 45 1. sic explicat, quod *subrogatio hæc, de qua agimus, nihil sit aliud, quam substitutio unius in locum alterius. Et cum ad personas restringitur, commutatio est personæ, re aut statu, sive loco, in quem persona altera reponitur manente eodem. Hoc si ad perpesiones transferatur, is dicetur pro altero subrogatus, qui id, quod alteri ferendum erat, ipse sustinet, altero interea ab illa perpesione liberato. Addit insuper, hoc ipsum significare solere, cum quis vice, aut loco alterius, quippiam perpesus dicitur, & sic hoc significatu dicatur, Christum pro nobis subrogatum, aut vice & loco nostri passum, Socino vere contradici: neq; minor*





## DE JUSTIFICATIONE.

est in eo dispensatio, quod DEus nostram in Christum culpam & pœnam transtulit, ut vere dicatur agnus, qui tollit peccata mundi Ioh. I. 29. in quem DEus omnium nostrum iniquitates coniecerit Esa. LIII. 5. imò peccatum ipsum fecerit II. Cor. V. 20. ita ut vere dicatur mortuus peccato Rom. VI. 20. pro peccatis Rom. IIX. 3. I. Cor. XV. 3. Hebr. X. 25. & propter peccata nostra Esa. LIII. 5. adeoq; multum dispensationis etiam in eo reperitur, quod Christus pœnas pro nobis exsolvit, dum pœnas, omnibus omnium hominum peccatis promeritas, sustinuit, & nos ab illis liberavit: & deniq; multum dispensationis in acceptilatione satisfactionis Christi pro nobis invenitur, si nim. acceptilatio non sensu judiciali, sed vulgari, vel non juridico, sed generali & grammatico, sumatur: nam alias hanc acceptilationem exagitat Socinus part. 4. de Serv. Christ. c. 2. inqviens: *Quomodo potest unquam acceptum ferri id, quod revera solvitur. Quid aliud apud ICTOS, unde hæc loqvendi formula sumta videtur, Acceptum ferre significat, quam pro soluto habere, licet vere solutum non sit? Quid aliud est acceptilatio, quam per sola verba obligationis liberatio? Et porro; Satis est in acceptilatione per sola verba debitorem liberare. Quod si vel ipse, vel alius pro eo revera solvat, acceptilationi nullus est locus. Verum acceptilatio quidem in jure, aptatur ad jus crediti, non ad pœnas: sed h.l. generaliter, vel secundum alios improprie sumitur, & nihil aliud significatur, quam imputari nobis satisfactionem Christi, & perinde nostris adscribi rationibus, ac si nos ipsi eandem præstitissemus: quomodo certe non pugnat illa acceptilatio, si nim. hoc sensu supponatur, cum solutione, vel satisfactione. Quod si enim alius pro alio solvat, eaq; solutio per creditorem admittatur, & rationibus ejus, qui solvere tenebatur, transcribatur, non adeo convenienter id, quod solutum est alteri, acceptum ferri ei, pro quo solutum est. Unde Socinus l. d. id etiam fateri cogitur, dum inquit: *Potest alicui acceptum ferri, si non propria, saltem impropria significatione, quod alius solvit.**

10. (4) Nec quæritur de immediata requisitione satisfactionis, Num DEus simpliciter ab homine peccatore satisfactionem propriam & immediatam ita requisiverit, ut ipse DEO satisfacere debuerit, non autem satisfactionem ab alio præstitam admittere, vel respicere potuerit? Injustum



## DE JUSTIFICATIONE.

*stum & immane est, scribit Socin. part. 3. de Serv. Christ. cap. 3. p. 251. quod ne homines quidem, quantumvis barbari & truculenti faciunt, de innocentibus nocentium loco, ipsis nocentibus sponte dimissis, pœnas sumere. At qui DEus injustus & immanis non est. Ergo à Christo innocente nostro loco pœnas non sumsit, sed potius tales à peccatoribus ipsis requisivit: cum primis quia urget hoc, nulla lege, aut consuetudine receptum unquam fuisse, ut unus pro altero, alterius quasi vice & loco moreretur, nec etiam mortem unius alterius mortem effici posse.*

II. (5) Sed agitur hic de *justitia DEI infinita*, eaq; *vindicatrice*, quæ certe nec in peccatis acquiescere, nec peccatores impunitos dimittere, nec citra satisfactionem aliquam, cujuscunq; tandem illa fuerit, veniam peccatorum concedere vel potuit, vel debuit, five voluit. Non *voluit*, quia sic injustitiæ, non justitiæ studisset: non *debuit*, quia rationi propriæ defuisset, & juri suo derogasset; non *potuit*, quia non potentiæ, sed impotentiae potius illud fuisset. Unde merito, juxta scripturam cannonicam, fidem catholicam, & communem Doctorum consensum, asserimus, quod justitia divina *λύτρον* satisfactionis, vel ipsam satisfactionem, pro totius humani generis peccatis requisiverit.

12. Ipse *Socinus* hic adversum tenet passim in scriptis suis, hac vice differentem eum audiemus ex *Instit. breviss. Christ. Relig. p. 76.* ubi quærit: *Numquid justitia divina non requirit, ut omnino peccata nostra puniantur, vel sit, qui pro ipsis satisfaciatur? Imò, respondet, nulli homini cordato & pio istud in mentem venire unquam deberet.* Verum omnis *scriptura* nobis exempla virorum piorum & cordatorum, i.e. Patriarcharum, Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum, ac aliorum religiosorum virorum, suppeditat, quibus illud in mentem venit, quia salutaris hæc doctrina per sancti Spiritus illuminationem ipsis revelata, mentibus ipsorum inspirata, & impulsu Spiritus literarum monumentis consignata fuit. Tota *historia Ecclesiastica* talia nobis exempla suggerit: *Ecclesia Catholica* non alios in sui consortium admittit. Et ipse *Socinus* infinitam eorum multitudinem optime novit, quibus hoc ex divina revelatione, vel scripturis sacris, in mentem venit, & hoc non obstan-

te tam



## DE JUSTIFICATIONE.

ce tam audacter pronunciare audet, quod hoc nulli prorsus cordatorum, & piorum in mentem venire possit, aut potius debeat.

13. Ne quid autem gratis asseruisse videretur, verbis paucis rationes multas, & non ab hominibus, sed ab ipso DEO petitas, primo loco statim urgere voluit, ut hanc causam suspectam eò plausibiliori prætextu rudioribus, vel incautioribus obtruderet; hinc sententiam suam probare conatur, (1) *ex DEI potentia*, quia hoc potentia DEI aperte & plurimum derogaret: unde p. 3. de Serv. Christ. c. 1. p. 224. scribit: *Nihil est, propter quod DEUS libere, cui velit, nulla satisfactione accepta, peccata IURE CONDONARE NON POSSIT.* Et alibi non rarò DEUM impotentia postulat, si tale quid præstare non valeat. R. (1) *Potentia vere infinita DEO tribuenda venit, & ratione objecti*, quia nullum Ens, quod Entitatis, bonitatis & perfectionis rationem habere potest, hic excipitur, sed in universum Ens omne potentia divinæ subjicitur; & *ratione modi*, quia DEUS infinite prorsus agere potest, super omnem nostrum conceptum & intellectum; & *ratione scopi*, quia DEUS admirando modo potest universa non tantum, sed & singula tam gloriose dirigere, ut ex omnibus omnia possit elicere, imò non tantum bona, sed etiam mala sic ordinare novit, ut bonum ex iis finem eliciat: interim non dicitur *infinita*, ratione *contradictionis immediatæ*, quasi semetipsum *Non-DEUM* facere queat: vel ratione *contradictionis materialis*, quasi *Non-Entia* quoq; pura, vel simpliciter talia, sibi pro certis objectis vendicet: *Non-Entia* siquidē sunt & manent *non-objecta*, adeoq; nec potentia divinæ vel objiciuntur, vel subjiciuntur: neq; ratione *contradictionis formalis*, quasi DEUS etiam circa *mala*, *qua talia*, sua potentia versari possit, cum *mala*, *qua talia*, sint potius *defectus*, quam *effectus*, potius *privationes*, quam *effectiones*, vel *positiones*, potius *impotentiam*, quam *potentiam*, respiciant: ratione *contradictionis collateralis*, quasi DEI potentia sic *infinita* dici queat, ac si possit omnia, quæ reliquis attributis sint *contradictoria*, & contraveniant DEI *sanctitati*, *justitiæ*, *perfectioni*, *veritati* &c: nam quæ *contradictoria* sunt horum *attributorum*, ipsius DEI *contradictoria*, sunt, cum *materialiter* hæc attributa sint ipsa DEI *essentia*. (2) *Dist. inter absolutam potentiam ad extra*, quæ DEUS omnia



## DE JUSTIFICATIONE.

omnia Entia dicitur extra se posse, & inter *absolutam potentiam ad intra*, quæ certe non concedenda, cum ipsa DEI attributa sint inter se conferenda, non autem sibi mutuo per quandam everfionem opponenda. (3) *Dist.* inter *judicium rationis & fidei*: ratio quidem, cum ignoret peccati nostri magnitudinem atq; turpitudinem, & pœnarum multitudinem ac æternitatem, impetu cæco judicat, DEum talia posse: sed *fides*, quæ juxta scripturam in timore Domini hæc omnia considerat, ac œconomiam divinorum consiliorum accuratè ponderat, talem potentiam DEO non affingit, sed in DEI revelatione lubens acquiescit. (4) Accedit huc, quod hoc argumentum ex *analogia Magistratum Politicorum* urgeatur, quod illi contra leges dispensare possint, adeoque multo magis DEO dispensandi, vel absolute remittendi peccatum potentia sit concedenda, cum tamen dispensatio, vel relaxatio pœnarum, Magistratui politico non *in totum*, sed *in tantum*, ratione *legum mutabilium*, non *immutabilium* tribuatur, aut plerumq; non *de jure* concedatur, sed, *de facto* potius assumatur.

14. (II) *Quia pariter auctoritati DEI aperte & plurimum derogatur*: nimirum quia juxta *Socinianos jus absolutissimum DEO contra scripturam, & DEI naturam affingitur*, sicut scribit Socin. p. 1. de Serv. Christ. t. 1. p. 11. Potuisset DEus, & quidem IURE, homines licet peccantes, morti æternæ non mancipare: postquam autem eos morti mancipavit, ex illius imperio eximere, & quidem IURE, sua SOLA VOLUNTATE potest: & Volckel. l. 2. de Ver. Relig. c. 12. p. 23. vehementer eos errare, quò putant, sacrificia illa DEO pro peccatis satisfecisse. Nam nec remissio peccatorum cum vera satisfactione consistere, nec Deo quippiam revera dari ac solvi pro peccatis potest: cum omnia sint ipsius IURE DOMINII ABSOLUTI. Vid. Psal. L. 8. seqq. R. (I) *auctoritas DEO competit* (a) *essentialis*, quæ DEO, tanquam Enti summo per se, vel etiam ratione sui, competit, quia DEus est, (b) *causalis*, quæ DEO, tanquam cause summæ, vel autori primo, ratione creationis, vel omnium creaturarum competit, qua creator est, (c) *legalis*, quæ DEO, tanquam summo legislatori, vel Domino competit ratione gubernationis, quatenus ut *supremus Dominus* omnes creaturas gubernat, & ad justitiæ leges cum primis homines revocat, eosq; præceptis suis obligat.

B

(d) obe-



## DE JUSTIFICATIONE.

(d) *obedientialis*, vel *reverentialis*, quæ DEO competit, ut *supremo Numini*, quod religiose variis honoribus divinis colendum est. (e) *judicialis*, quæ DEO competit, ut *supremo judici*, quatenus judicare dicitur universam terram: sed hæc *auctoritatis* divinæ vel *elogia*, vel *genera*, neutiqvam sacris literis, vel etiam *mysteriis* divinis aut *ejus attributis*, *justitiæ* cumprimis, opponenda. (2) DEO competit *jus absolutum*, vel *dominium*, quod *universa jura, leges*, vel etiam *dominia*, hominum transcendat, sed quod vel *DEI veritati*, vel *ejus sanctitati*, vel *ejus justitiæ* contrarietur, neutiqvam ei tribui debet: posse autem *JURE* homines peccantes æternæ morti non mancipare, & quidem *citra satisfactionem*, contrariatur *DEI veritati*, quia dictum erat *Gen. II. 17. quocunq; die comederis ex arbore scientiæ boni & mali, morte morieris: Sanctitati*, cui peccatum omne prorsus contrarium; *justitiæ*, quæ non potest peccata non punire. (3) *Psal. L. 8.* agitur de *jure absoluto*, respectu *creaturarum*, non agitur de *jure absoluto*, respectu *divinorum attributorum*, sicut ex *circumstantiis* textus apertum.

15. (III) *Quia bonitati & misericordiæ DEI aperte ac plurimum derogaret.* Sic enim *Socinus* inquit p. 3. de *Serv. Christ. c. 2. p. 230.* nihil ferè magis *impium excogitari potest*, quam sentire, à DEO peccata non remitti, nisi pro illis plene *satisfiat*, & p. 235. *Nisi velimus*, Deum eo tempore, quod in *divinis literis gratiæ & benignitatis appellatur*, restrictiorem fuisse, quam eo, quod præ illo *severitatis atq; iræ appellari potest*: concludendum prorsus videtur, in *salute nobis*, divina providentia per *Christum parta*, nullam veram pro *delictis nostris satisfactionem* à quoqvam accipere Deum voluisse, sed *liberalissime ea universa nobis pœnitentibus ac respicientibus condonasse*: imò *remissionem peccatorum & satisfactionem Smalzii pro contrariis venditat Exam. 157. Error. err. 80. p. 24.* *Quis*, inquit, nisi *mentis inops*, non agnoscat, *contraria illa esse, REMISSIO PECCATORUM & SATISFACTIO pro peccatis?* Nam ubi *remissio peccatorum est*, ibi *neesse est*, ut nec *is, qui peccaverat*, quicquam det, nec *is, in quem peccatum erat*, quicquam accipiat, sive ab eo, qui peccaverat, sive ab alio. Nam si aliquid accipiat, à quoqvam tandem id fiat, *remissio non erit*: At ubi est *satisfactio*, sive ab eo, qui debebat, sive ab alio profecta, iam *remissioni locus nullus relinquitur.* R. (1) *Bonitas & misericordia, cum-*  
pri-



## DE JUSTIFICATIONE ?

primis quoad mysterium nostræ justificationis & salutis non sine, sed ex scripturis, considerata veniunt: nihil igitur hic valent vel rationes, vel comparationes, quotquot prudentia carnis suppeditat, quia prudentia carnis inimicitia est adversus DEUM Rom. II. 7. (2) Summæ bonitatis est, quod Pater cœlestis omnia nobiscum communicavit, & nihil sibi soli reliquit, cum omne bonum sit communicativum: communicavit enim nobis cor paternum Hos. XI. 8. Quomodo dabo te, Ephraim, protegam te Israel? quomodo dabo te, sicut Adama, ponam te ut Seboim? conversum est in me COR MEUM, simul exarserunt in me miserationes meæ, non faciam furorem iræ meæ, non vertam me, ut disperdam Ephraim, quoniam DEUS ego, & non homo, in medio tui sanctus: communicavit nobis ex bonitate & misericordia Filium unigenitum, ut redemptorem & Salvatorem: Sic enim DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat: communicavit nobis ex bonitate & misericordia Spiritum suum, ut sanctificatorem, quia non accepimus Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepimus Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater Rom. II. 15. (3) Hinc dist. inter misericordiam & bonitatem DEI absolutam & relativam, vel ordinatam: hanc, non illam, in negotio salutis locum habere, scriptura sapius revelavit. (4) liberalissime fingit nostra peccata remitti, sed notum est, quod ea demum liberalitas vocetur, quæ de dominio, vel credito nostro cedimus: cum verò impunitas conceditur, non liberalitas, sed clementia dicitur, quam lenitatem dicunt superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis: hinc liberalitatis terminus, quem Sociniani tam libenter in hoc negotio solent usurpare, minime conveniens est; nam liberalitas est proprie ita dare aliquid, ut danti pereat, vel id accipientem transeat: sed scriptura nusquam clementiam hanc DEI vocat ἐλεησιβόνη, vel liberalitatem, sed nec hoc termino, vel in aliis rebus, quæ dari, aut accipi solent, de DEO utitur. Et licet Crellius contr. Grot. c. 2. p. 200. seqq. demonstrare contendat, quod apud Latinos scriptores interdum sic vocabulum liberalitatis extendatur, ut clementiâ complectatur, tamen hæc significatio potius impropria, quam propria, vel etiam analogica dicenda, quatenus videl. clementia de jure suo cedit, &



## DE JUSTIFICATIONE.

sic benigne facit alteri, proprie tamen liberalitas non est in remittendis peccatis, & sic à jure dominii, aut crediti vere distinguitur.

16 (IV) *Quia non factum est haecenus, ut quis alicujus satisfactionis vi liber sit apud DEUM à pœnis peccatorum suorum.* R. (1) per satisfactionem coram omni judicio reus liber esse potest, ergo quoque liber esse potest coram judicio divino: nam ex judicii divini conditione, vel etiam constitutione promanat, ut in omni judicio vera satisfactio quædam requiratur. (2) Contrarium probat ipsum *Protevangeliolum*, quod cum homo DEO satisfacere, pœnasque sustinere, vel à se remove non potuerit, semen mulieris id præstiturum, & caput serpentis contriturum *Gen. III. 15.* vel opera Diaboli dissoluturum sit *I. Joh. III. 8.* Confer. *Esa. LIII. 4. seqq.* (3) Fide salvantur omnes justii *Habac. II. 4.* quemadmodum id etiam catalogus sanctorum docet *Heb. XI.* Fides autem nititur satisfactione Christi, quam omnes peccatores apprehendere tenentur, si vere coram judicio divino consistere velint. *Rom. III. 21.*

17. (V) *Quia nec fieri potest, ut quis alicujus satisfactionis vi liber sit apud DEUM à pœnis peccatorum suorum, quia hæc duo sibi invicem adversantur, liberari apud DEUM à pœnis peccatorum suorum, & pro ipsis peccatis divinæ justitiæ satisfieri.* *Quia nulla alia ratione divinæ justitiæ satisfieri pro peccatis potest, quam si is, qui peccavit, pœnas det peccatorum suorum; liberari autem a suorum peccatorum pœnis, & eorundem peccatorum pœnas dare, nemo non videt, sibi invicem penitus adversari.* R. (1) dist. inter contrarietatem veram, & apparentem: hic vera contrarietas non invenitur: multò minus in illis vera contradictio reperitur. (2) Quod liberari apud DEUM à pœnis peccatorum suorum, & pro ipsis peccatis divinæ justitiæ satisfieri, nihil contradictionis inferat, illud patet (a) quia liberari à pœnis, respicit DEI misericordiam, sed justitiæ divinæ satisfieri, respicit DEI justitiam, (b) liberari à pœnis respicit peccatorem ipsum, satisfacere justitiæ divinæ respicit Christum. (c) liberari à pœnis respicit effectum, sed satisfacere justitiæ respicit meritum. (d) liberatio peccatorum à pœnis est peccatorum hominum, vel personarum, vel ipsorum subjectorum, satisfacere divinæ justitiæ potius est objectorum, vel peccatorum medium. &c. (3) *Quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est, dicitur in axioma-*



## DE JUSTIFICATIONE.

re communi: jam satisfactio sive fiat à peccatore, sive à Mediatore, vera tamen satisfactio censeretur debet.

18. (VI) *Quia nequaquam alius pro alio pœnas istas dare potest, quemadmodum alius pro alio solvit pecuniam, quam quis debet. Non enim sicut unius pecunia alterius fieri potest, sic unius pœnæ alterius fieri possunt. Est siquidem pecunia, ut Ictri loquuntur, reale quiddam, & idcirco ab alio in alium transferri potest: pœnæ verò, de quibus hic loquimur, & quæ peccatis hominum ex lege DEI debentur, sunt quiddam personale, & propterea ejusmodi, quæ illi ipsi, qui eas dat, perpetuo adhæreant, nec in alium queant transferri.* R. (1) Quod alius pro alio, vel etiam cum alio pœnas dare possit, sacra scriptura passim testatur, etiam in ipso Decalogo Exod. XX. 5. *Ego sum, inquit Dominus & justissimus Legislator, Dominus DEus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* (2) *Dist. inter satisfactionem ipsam, & satisfactionis modum: licet non omnes modi hic possint accommodari, tamen propterea non ipsa satisfactio neganda venit.* (3) *Quæ ex Scholis Ictorum huic mysterio solent applicari, non in totum, sed in tantum accommodari debent, & quidem non juxta communem, sed eminentem analogiam: jam analogia eminentiæ prius omnia, quæ materialia, vel concreta, vel communia sunt, præscindit, quæ veram, mysteriisque debitam analogiam concedit.* (4) *pœnæ sunt personales respectu subiecti, non respectu sui, certo modo, non omnimodo: cum primis quia notum est, quod multi nobiliorum Politicorum & Ictorum pœnarum irrogationem ad justitiam commutativam referre soleant.*

19. (VII) *Quia DEus ipse disertè vetuit, ne alius pro alio occidatur Deut. XXIV. 16. II. Reg. XIV. 6. sit quantumvis conjuncta persona.* R. (1) *Deut. XXIV. 16. dicitur: Non occidentur Patres pro filiis, nec filii pro patribus: sed unusquisque pro peccato suo morietur: quibus verbis loquitur DEus de legibus forensibus quoad ἑσθία, non autem loquitur de justitia divina quoad οἰκονομία, (2) in satisfactione Christi non commune, sed singulare, quoddam exemplum reperitur, non vulgare Senatus consultum, sed potius peculiare mysterium deprehenditur: lex proinde generalis hic non convenienter applicatur.*



## DE JUSTIFICATIONE.

(3) II. Reg. XIV. 6. dicitur, quod *Amazias*, Rex *Judæ*, percusserit *servos suos*, qui *Patrem ejus*, Regem *Joas*, occiderunt, *filios autem eorum*, qui occiderant, non occidit, juxta legem hanc *Mosis Deut. XXIV. 16.* similis igitur hic militat responsio.

20. (IIIX) Quia *DEUS* apertissime testatus est *Ezech. XIII. 20.* se ipsum minime id facturum, ut alius pro alio occidatur. R. (1) *DEUS* apud *Ezechielem* loquitur de pœnis ordinariis & communibus, non autem de pœnis extraordinariis & singularibus, quales in judicio divino *Christo* convenire dicuntur: adeoque locus hic ἀπεσοδιώσως urgetur. (2) notum est, quod hujus loci variæ dentur limitationes & explicationes, non igitur simpliciter hic applicari vel potest, vel debet. (3) *Anima*, quæ peccaverit, ipsa morietur, absolute, non comparate, quoad jus rigorosum, non quoad jus misericordiam temperatum, quoad peccatorum & pœnarum ἴσθια, non quoad pœnarum ὀκνορομίας. (4) *DEUS* illud non facit a priori, nim. ut alius pro alio vel occidatur, vel puniatur, interim si alius pro alio se paratum ad satisfaciendum offerat, hoc certe simpliciter non vult impedire, sed suo modo concedere: cum igitur ipse *DEI Filius* se paratum ad satisfactionem obtulerit, ideo propter infinitam suam misericordiam *DEUS Pater* ejus promptitudinem impedire noluit, cum primis quia per infinitam sapientiam totam satisfactionis œconomiam sapientissime *DEUS Filius* disposuerit.

21. (IX) Quia, etiamsi alioqui id fieri posset, ipsi tamen justitia divina repugnare, ut quis pœnas peccatorum quibus mors potissimum continetur, pro altero det, tantum abest, ut hac ratione divina justitia satisfieri pro peccatis possit. R. (1) justitia divina dupliciter consideratur, vel absolute, qua ratione peccator ipse, non alius punitur, & ab eodem pœnæ judicialiter urgentur; vel comparate, qua ratione justitia cum misericordia conjungitur, & per hanc lenitur, ut rem ipsam quidem, videl. pœnam & satisfactionem urgere queat, modum tamen adeo rigorosè non exigat, sed in re ipsa benigniter acquiescat, non attenda ratione, sive peccator ipse, sive quidam alius pro eo satisfaciatur. Hinc (2) dist. inter justitiam meram & temperatam, nudam & misericordiam vestitam, non illa, sed hæc, in mysterio præfenti venit attendenda. (3) Dist. inter me-  
dia-



## DE JUSTIFICATIONE.

*diatorem succumbentem & prevalentem*: si mors à quodam Mediatore succumbente pro peccatis alterius susciperetur, illud suo modo tam facile justitia divina non admitteret; sed quia talis se pro nobis obtulit redemptor, qui *λύτρον* satisfactionis præstare, mortem in se derivare, & de morte, Satana, vel aliis hostibus, triumphare potuit, ideo justitia divina misericorditer in tali Mediatore lubens acquiescere voluit.

22. (X) *Quia secundum & tertium argumentum* ulterius urgeri potest, quod nim. *DEI vel majestati, vel benignitati derogaretur, si necesse esset apud ipsum aut peccata nostra puniri, aut pro ipsis satisfieri, quia manifeste hinc sequeretur, DEum vel non posse, vel nolle nobis peccata remittere, & liberaliter condonare.* Neque enim remittitur, liberaliterve condonatur peccatum, quod vel punitur, vel non sine satisfactione impunitum dimittitur. Id quod *DEus* id facere non possit, id est, jure nequeat nobis peccata liberaliter condonare, nimis evidenter ejus majestatem lædit; sic enim minus auctoritatis haberet *DEus*, quam quilibet homo: nemo enim est, qui jure non queat, offensas sibi factas, liberaliter condonare. Quid verò aliud sunt peccata nostra, quam offensæ, ipsi *DEO* factæ? Quod autem *DEus* id facere nolit, hoc non minus evidenter ipsius benignitatem immittit, & tantum non funditus tollit. Ex (1) jam superius satis est responsum, & hic denuò male inter se divina attributa committuntur, & majestas atq; benignitas *DEI* *justitiæ* *divinæ* *καὶ* *ἀδελφικῆς* opponuntur, quod minimè religiosum, aut mysteriis hisce consonum. (2) quod necesse sit, apud *DEum* peccata nostra puniri, patet ex *Ezech. XLIX. 20.* quem locum ipse *Socinus* antea producebat, & urgebat: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, necessitatem enim ipsa verba formalia monstrant, & passim alibi scriptura demonstrat.* Et certe divina *justitia* neutiq; aliter acquiescere potest (3) Quod in defectu *satisfactionis propriæ* fuerit aliena necessaria, patet inde, quia *justitia* potius rem ipsam *satisfactionis*, quam modum *propriæ satisfactionis* simpliciter urget, præsertim quia *misericiordiæ* *benignitas* intervenit. (4) *Disjunctio Sociniana* minus est accurata, quia dicitur imperfecta, cum detur *tertium, vid. τὸ* non debere, nam per & propter *justitiam* infinitam

tam



## DE JUSTIFICATIONE.

tam non debet peccata prorsus impunita dimittere. (5) DEus di-  
 citur *remittere peccatum*, vel *liberaliter condonare*, *ratione nostri*,  
 quia nihil à nobis amplius exigit pro satisfactione. sed non *ra-*  
*tionem Christi*, cui magni constitit hæc satisfactio, vel redemptio ge-  
 neris humani, quia non auro, vel argento: sed precioso sanguine  
 promptus illam præstitit *I. Pet. I. 18. 19* nec per *sanguinem vitulorum*  
*aut hircorum*, sed per *proprium sanguinem in sanctum sanctorum*  
*ingressus est, æterna redemptione inventa Heb. IX. 12.* (6) *Dist. inter*  
*pœnam ipsam, & inter ejus æconomiam*: in pœna non datur libera-  
 litas, ut loquitur adversarius, vel *clementia*, sed in modo multum  
 clementiæ reperitur, imò nec quisquam hanc *infinitam clemen-*  
*tiam* satis admirari poterit. (7) *De jure & potestate DEI* satis antea  
 fuit responsū, adeoq; hic nihil addim;: nec imminuit illud vel e-  
 jus *autoritatem*, vel *majestatem*, quod tenaciter *justitiæ suæ vindi-*  
*catricis* rationem habet, sed potius eam auget: nullatenus autem  
*DEus minus auctoritatis habet, quam quilibet homo*, qui de suo jure  
 quicquam remittere, & offensas condemnare potest: nam multa  
 sapius apud homines *de facto* suscipiuntur, quæ *de jure* sic fieri  
 non deberent: non enim omnis *lenitas* hominum commenda-  
 tione digna. *Dist. igitur inter lenitatem, vel remissionem licitam &*  
*illicitam, illam probam, hanc minime*: præterea dicitur alia *homi-*  
*num*, alia *DEI conditio*: homines communi vinculo *tum* ratione  
 creatoris, *tum* ratione creatonis, *tum* ratione naturalis constitutionis,  
*tum* ratione cõmunis obligationis, *tum* ratione debitæ dilectionis,  
*tum* ratione communis, conversationis & multis aliis respectibus  
 inter se copulantur, & ad offensarum condonationem obligantur,  
 non autem hæc omnia de *DEO* dici possunt. Insuper aliæ *pri-*  
*vata* sunt, aliæ *publicæ offensa*: non in *his*, sed in *illis* commenda-  
 tur facilitas ad condonandum. Deniq; peccant offensa vel in *le-*  
*gem naturalem*, vel in *legem civilem*, vel in *honorem*, vel in *utili-*  
*tatem* &c.: in *his* offensarum condonatio commendatur in *illis* vi-  
 tuperatur: & alia multa hic moneri possent. (8) Quod *DEus* id  
 facere nolit, hoc nec *benignitatem* ejus imminuit, nec eam funditus  
 tollit, quia *DEO* *benignitas* non *absoluta*, sed *relata*, cum aliis at-  
 tributis conjuncta, tribuenda, cum primis quia *benignitas* omnis  
 in *Christo* fundata, dum *sic dilexit mundum, ut filium suum unigeni-*  
*tum eidem dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed vitam*  
*æternam habeat Job. III. 16.*




Lang. VI. 5 1

ULB Halle

3

003 730 670



f

TA → d

neu 14 27 Stück verbleibend


Rino  
V377











εγγενή!

THEOLOGICA,

ATIONE,

BERGENSIS Academia

Majori,

ος θελήση

RESIDIO

h. III. 2538

R J

DI, MAGNIFICI atq;

NTISSIMI,

Deutschmann/

bl. longè celeberrimi, ejus-

Spectatissimi, ac Electoralium

FORI gravissimi,

toris ac Promotoris sui

colendi,

άντων συζητήσεις

fistit

OWITZ, Turocenô.

Theol. & Phil. Studiosus.

Aprilis

M. DC. LXX.

IS METERI.